

spectantibus præbebat. Iis vero locis, quibus flumen vada  
habuit transitu faciliora, bina castra & fossa & vallo sunt  
munita, *Gradiscana* altera nominata, altera *Folianica*,  
villarum nominibus, quæ utrobique fuerant. Hæc post  
cladem ad ripam fluminis acceptam pene deserta mansere:  
illa vero ad hunc diem præsidio retenta, atque magna ex  
parte Francisci Throni cura, ad hoc ipsum in Patriam  
missi, muro circumdata, & in munitissimi oppidi speciem  
redacta. Habuit longitudo operis stadia centum & amplius.  
Spectavimus post aliquot annos munitionem ipsam pluri-  
bus locis pene solo æquatam, vel maxime ea parte, qua  
glareosa constitit materia, quam imbrium copia facile re-  
solvit. Erat & circa pontem, qui non longe a Goricia flu-  
vio impositus est, agger in castelli speciem erectus, ad  
quem tuendum missi fuerant ab initio pauci peditum ma-  
nipuli: inde bina castra, mille inter se passus distantia,  
majore præsidio firmata: ad tria millia equitum fuere, pe-  
dites his adjecti, sed pro numero equitum non adeo mul-  
ti. Apparuit, ex eo quod vada quæ hosti patuissent, in-  
superabili obstrusa essent munitione, & quod eadem illa  
haud infirmo tenerentur præsidio, fore ut hostis Italia ab-  
stineret. Idcirco tota Patria, velut nullum ab hoste peri-  
culum impendisset, ociose agebat: sed quo major illa se-  
curitas fuit, eo fœdiore clade terra ipsa oppressa est. Ita  
nanque accidit, ut quem minime barbarus affuturus cre-  
deretur, infesto agmine in ulteriore Sontii ripa confederit.  
De hostium numero inter eos qui in castris fuere, mini-  
me convenit: decem millia fuisse credidere quidam, au-  
gebant alii numerum, alii extenuabant. Ingens tumultus  
ad primum hostium conspectum in utrisque castris ortus  
est, conclamatumque repente ad arma; fuissetque in alte-  
utra ripa concursum, nisi militem se ad pugnam expe-  
dientem nox ipsa oppressisset. Venetæ utrorunque castro-  
rum copiæ inter se junctæ insomnem noctem egere: jussi  
equites, instratis equis, armati corpora curare. Habuit in  
illis imperium Hieronymus Novellus, a primis annis mi-  
litiae assuetus, qui clara magnaue ad id tempus fecerat